







1732.

1. Albinus, J. Henricus: De eo, quod juris est in donationibus bonorum immobilitum jure imprimis Saxoniae
2. Bestineller, Gethard Christianus: Ord. juridici . . . Decanus: Lectori honorato s. p. d. (ad Disputationem solennem Johannis <sup>4</sup> Godefridi Schwencke iurati)
3. Bestineller, Gethard Christianus, Ord. juridici . . . Decanus: Lectori honorato s. p. d. (ad Disputationem solennem Johannis Godefridi Schwencke iurati)
4. Bestineller, Geth. Christianus: Ord. juridici . . . Decanus: Lectori honorato s. p. d. (ad Disputationem solennem Johannis Godefridi Schwencke iurati)
5. Bestinellerus, Geth. Christianus: Dissertationis inauguralis, jurisdictio, quae problema an et quatenus testamenta mystica ac praesertim hereticorum institutiones in plerisque valent?
6. Chladenius, Fridericus Georgius: De jure recipiendi clientelas exemptas.

7. Hagerius, Gottlob Friedemann: De jure naturalis seu  
 potius ingenii angelorum huc est de officio  
 angelorum et eorum ingenii resultantibus.
8. Henius, Johannes Matthias: De quantitate et unitate  
 arithmetice verae ratione
9. Hann, Martinus: De moralitate simulationis  
 Heiderm, Francus Christianus
10. ~~Hausius, Jo. Godefr.~~: De divinarum legum existentia  
 certitudine immutabilitate eorumque cum humanis  
 concordantia
11. <sup>a. b. c. d.</sup> Hausius, Jo. Godefr.: De jurisdictione in legatos  
 statuum eorumque comites S. R. J. Archi. Mare-  
 schalli et hinc Vice. Marshalle in comitiis compe-  
 tito. 2 exempl.
12. Hausius, Johann Godefridus: De arbitrio judicis rescripto  
 (restricto!)
13. Leyson, Augustinus: Ord. jurisdicti . . . Decanus.  
 lecti s. v. (ad Regulatorem solemnem Baronii Friederici  
 Hagermayeri inserta)

14. Leyerus, Augustinus: Ord. juridicus . . . Decanus; Censori  
s. v. (ad Disputationem solennem Jo. Christiani Hled-

1547 Leyerus  
1548 Leyerus

15. Leyerus, Augustinus: Viam regiam Lusitiae superioris  
... monstrat

16. Leyerus, Augustinus: De jure Germanorum antiquo et  
modernis circa ripinas.

17. Leyerus, Augustinus: Decanatus advocatorum

18. Mencke, Gottfr. Ludov. Ord. juridicus . . . Decanus:

lectori honorato s. p. d. (ad Disputationem solennem

Johanni Christiani Klingensackii invitat.)

19. Mencke, Gottfr. Ludov.: De fama forens

20. Obbarius, Christoph Ludovicus: De necessitate reuel.

divis divinal

21. Pinkerton, Michael Henricus: De Sangerhusens conu.

In formulae Concordiae causa habita et eadem

in Scharzhornensis foris approbata

22. Schannberg, J. Godefrid: De autoritate legum  
Germaniae antiquarum et in illa receptarum  
ex ~~rationali~~ ratione legis et intentione legis.  
Patris D. Judicandae.
23. Schroeder, Ernestus Christianus: De necessitate revelationis  
divinae sectis prior sistens principia
24. Stummis, Willib: Dissertationem juridicam, qua  
Abstem I imperium Romanum cum reip<sup>ta</sup> Romanorum  
non confusum monstratur... defendit
25. <sup>2</sup> Stummis, Willib: Dissertatio juridica rutilior  
neque sarris Romanis neque Germanicos esse,  
quique pertinetur eorum operae monentur  
& Saepel
26. Stummis, Willib: Dissertationis juridicae praecipua  
laudemis capita sistens.
27. Peter, Christianus: De infanticidio imputati  
siquis si agrestibus..



28<sup>a</sup>: Weidler, Fr. Fredericus: De usu remedia contra  
respicentem ad emulationem 2 Exempl.

29. Weidler, Joannes Fredericus: De respectis

30. Wember, Fr. Frider: Decas desideriorum juridicorum


IV.  
31. Wember, Jo. Frider: De damnatione litis

32. Wember, Fr. Frider: Decas desideriorum juridicorum  
III.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*







3907.

1732 11

DE

# DIVINARVM

LEGVM EXISTENTIA CER-

TITVDINE IMMVTABILITATE

EARVMQVE CVM HVMANIS CONSENSIONE

BREVITER DISSERIT

ATQVE

SCHOLAS IVRIS APERIVNDAS

SIGNIFICAT

IOANNES CHRISTIANVS HEDLERVS

VITENBERGA-SAXO IVRIVM LICENTIATVS  
ET PRACTICVS.

---

VITENBERGAE

LITERIS SCHLOMACHIANIS







Us, non opinio hominum genuit, sed  
Deus ipse homini indidit. P aefup-  
ponendum, ut decet, ac religio po-  
ftulat, Deum hanc omnem univerfi  
pulchritudinem produxiffe, eam-  
que adhuc divina providentia fua  
gubernare, quod jam dudum fanæ  
mentis philofophi evicerunt, nec nifi deliri aliqui arde-  
liones inficiari audent. Jam ergo cum Deus hoc uni-  
verfum, & proinde etiam hominem, creaverit; is au-  
tem in tali conditione fit pofitus, in qua fine aliorum  
confortio falvus eſſe non poteſt, praetereaque accepe-  
rit a Deo facultatem & vires, quae aptitudinem ipſi ad  
vitam ſocialem agendam tribuunt, ita, ut earum ple-  
raeque, ſine hac ſociali vita, inutiles fuiſſent futurae;  
inde luculento & infallibili nexu conſequitur, Deum,  
cum hominem ſalvum velit, voluiſſe etiam, ut ſociali-  
ter viveret, adeoque ſimul cum imperio injunxiſſe, ut  
homo naturalibus ab ipſo conceſſis viribus in id utatur,  
ut per eas eruat, quid ad ſocialitatem conducat, adeo-  
que faciendum fit, h. e. Deum homini praecepiſſe, ut  
ſecundum rectae rationis dictata agat. vid. Perilluſtris  
DN. LIBER BARO de WERNHER in *Diſſert. III. de*  
A 2 *Method.*

*Method. Leg. Nat. & Gent. investig.* Ridenda est itaque non nuper primum nata, sed in scholis Philosophorum olim protrita, & magna contentione agitata quaestio: *An aliquod jus revera existat?* Heraclitus nullam juris, vel alius disciplinae scientiam esse statuit. Clitomachus, Carneades, Protagoras, Aristo, & Pyrrho, palam docebant, jus nullum certum esse, sed ex sola hominum vaga & incerta opinione pendere, & cum eadem nasci & interire, stare & cadere. A qua sententia ipse divinus Plato non fuisse videtur alienus, dum in *lib. I. de republ.* ait: *Nihil lege sanciri posse, sed fortunam ipsam, variosque ejusdem eventus jura condere, eademque figere ac resigere.* Omnium vero Philosophorum Juris Censor iniquissimus habetur Thrasimachus, quia id solum justum & aequum esse dicebat, quod potentiori utile & commodum videretur: uti refert LINDEMANNVS in *Historia Jur. Rom.* Quanquam ego Thrasimachum ita intelligo, ut potentiori, & principi, qui animata & viva lex est, potestatem quidlibet sancienti constituendique eundem ad modum tribuat, quo SEXTVS CAECILIUS, apud Gellium, dicit: *Non ignoras, Legum opportunitates & medelas pro temporum moribus, rerum publicarum generibus, & utilitatum praesentium rationibus mutari, stecti, neque uno statu consistere; Jus tamen per se unum & idem semper manere, nimirum justa & honesta praecipiens, & contraria prohibens.* Quo ipso uti non sequitur, Thrasimachum omne jus negasse, ita reliquorum opiniones, utur speciosae primo intuitu appareant, attamen ad rectae rationis normam revocatae, nec Juris existentiam, nec ejusdem certitudinem tollunt, vel infringunt, quin potius contra Carneadis, sociorumque mentem

Hugo



Hogo Grotius existentiam juris recte, mea quidem opinione, videtur defendisse his argumentis: quod homo appetitu societatis, & quidem ordinatae & tranquillae, cum his, qui sunt sui generis, feratur: ac proinde hominem animal quidem esse, sed a reliquis multum distans; Reliqua animalia etiam ferri ad utilitates sui generis; in infantibus cerni propensionem ad benefaciendum, & misericordiam; hominibus perfectae aetatis adesse iudicium, habere eos appetitum societatis, & facultatem agendi secundum praecepta generalia, eaque soli humanae naturae congruere. Quae argumenta solidissima credo, quia ex ipsa natura rerum petita sunt. Legas, si volupe, quae habet Hesiodus:

Τὸν δὲ γὰρ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων,  
 Ἰχθύσι μὲν, καὶ θηροῖσι, καὶ οἰωνοῖς πετεινοῖς  
 Ἔοσει ἀλλήλας, ἐπεὶ δ' εὐκὴ ἐστὶν ἐπ' αὐτοῖς.

Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε Δίην, ἣ πολλὸν ἀρίστη.

Namque hanc hominibus legem posuit Saturnius  
 Piscibus quidem & feris, & avibus volucribus,

Se mutuo ut devorent quandoquidem iustitia carent:  
 Sive ut alii, praesertim Erasmus Schmidius

- - - quoniam non est ultio pro illis  
 Homnibus autem dedit iustitiam, quae multo melior.

Argumentatur Hesiodus a natura hominis, & de naturae iure divino differit, dicens: hominibus quasdam sententias esse infiras, seu divinitus scriptas in animis, quae doceant nos recta; In bestiis non esse eiusmodi sententias, quae iudicent, quid sit faciendum; Imo est videre in his, quod omnia vi gerantur, cum hominibus iura constituta sint, coniungantur & regantur, uti do-

⦿

cet PHILIPP MELANCHTON in HESIODI *ἔργα καὶ ἡμέρας*.  
 Eas leges Paulus veritatem Dei appellat, sunt autem hae  
 fere, 1) Deum cole, 2) neminem laedito, 3) quia ad so-  
 cietatem factus es, ergo benefacito aliis, & pro beneficio  
 redde gratiam, secundum illas vulgares sententias: manus  
 manum lavat, digitus digitum. 4) Certis legibus con-  
 nubia esse coniungenda, & educandam sobolem & de-  
 fendendam. 5) Civitates esse constituendas, parendum  
 magistratui, & pacta servanda esse. Nam alioqui societas  
 hominum non potest conservari, nisi fides servetur in  
 contrahendo. 6) Sicut medicus praescindit aliquam  
 partem corporis, ut servetur totum corpus: ita ut soci-  
 etatis humanae corpus conservetur, latrones tollendi  
 sunt, & alii, qui violant societatem humanam. Ideo &  
 bella geri oportet. 7) Et quia natura non est laedenda,  
 nec offendenda societas: ideo in victu modus, & ordo in  
 actionibus servandus est. Porro sicut divinis legibus  
 scriptis obtemperare nos oportet, ita & his Deus nos vult  
 obsequi: & animadvertit in eos, qui eas violant, id quod  
 illi cruciatus in flagitiosis testantur, qui, etiamsi nemo  
 resciscat eorum facinus, tamen naturaliter metuunt  
 impendentes poenas, *cit. Auct.* Interdum extemplo  
 poenam statuit Numen divinum, ut videant omnes  
 intelligantque. Sic annalibus ecclesiasticis proditum  
 est, cum Ladislaus, Hungariae Rex, pactas cum Tur-  
 ca inducias rumperet, atque per dispenationem eccle-  
 siasticam, missō Legato a latere, ab obligatione fidei  
 datae, & sacramenti praestiti, publice absolveretur,  
 cum auctoritas ad perjurium & perfidiam data esset,  
 quanta clade divina Nemesi hanc perfidiam in ipsos  
 Turcas ultra fuerit in praelio, quod Duce Ladislao,  
 rupta

rupra induciarum fide, cum Amurathe anno 1444. cum incredibili rei Christianae detrimento initum est: in quo victi fugatique Christiani, caesus Ladislaus Rex, & legatus, cujus ministerio ab obligatione fidei absolutus fuerat. Vbi & in ipso conflictu Amurathes, tabulis induciarum hasta praelatis, invocasse Deum servatoremque in ultionem perfidiae; finitoque praelio capiti occisi Regis exprobratione perfidiae illudum insultatumque fuisse, dicitur, BARON. *Annal. lib. 16. ad ann. Christ. 1443.* NAVCLER. *Chron. Vol. 2. Gen. 49.* Id quidem verum est, antea, quam admirabilis hujus universi machina, genusque humanum conditum fuit, nullam legis observationem, vel obligationem extitisse; sed enim vero cum ipso genere humano haec demum prodiit, §. II. I. de R. D. Atque sic veri juris scientia vera, non scripta, sed nobiscum nata, imo cordibus nostris insculpta est, quavis apodictica, seu Euclidea demonstratione certior. Haec demum Juris scientia digito Jehovahae non eburneis, Athenis allatis, sed lapideis tabulis, decem nimirum decalogi praeceptis descripta est, instar Lesbiae normae, & Cynosurae, ad quam omnia jura redigi, & efformari debent. Hoc jus uti vere existit, ita certum esse, & immutabile, ipse Justinianus ait. Sed quid? non ab omnibus gentibus eadem, inquis, observantur: namque Spartani furta laudabant; Athenienses contra furtum etiam stercoreis bubuli severissime pledebant, & apud Scythas, teste JUSTINO *lib. II. c. 2.* nullum scelus furto fuit gravius, quippe qui, sine tecti munimento pecora & armenta habentes, nihil salvum esse, si furari liceret, existi-

existimabant; Cilicibus, Massagetis, Aethiopicibus, aliisque, adulteria impunita; Ægyptiis vero capitali supplicio expiata fuerunt: Indi, Bactriani, Tragloditæ Hyperborei, fata parentum violenta nece prævenientes, grati dicebantur; at tantam *ἀστυγίαν* Ægyptii spinarum aculeis, & Romani culeo vindicabant. At enim vero Iuris existentiae & certitudini mutationes legum, diversarumque gentium mores nihil derogant, nec unius vel alterius ferocis & barbaræ gentis, a Iuris tramite exorbitantis, immanitas humanæ & rectæ rationis orbitam evertit. Minime etiam raro fit, ut multi actus peccaminosi in republica extra poenam constituentur, qui tamen in foro divino, propter aberrationem a lege, poenis utique subiacent, quod inde venit, quia in foro humano inflictiō poenarum non tam ex delictis ipsis, quam relatione earum ad rempublicam aestimatur. Neque enim tenetur Magistratus civilis quævis delicta contra Ius Naturæ commissa punire, quod eleganter deducit summum illud ingenium, PVENDORFIVS, in *Elem. Iurisprud. Univers.* lib. 1. def. 13. §. 7. ubi & alia habet, & hæc: *Quodsi summa potestas civilis indicaverit, eam, quam dixi, societatem satis commode posse servari, etiam si præceptis aliquibus Iuris Naturæ vis legis Civilis non tribuatur, vix videtur eam teneri ad poenas de istius violatoribus sumendas, saltem ubi ob peculiare civium ingenium, aut alias rationes, ex civili istius rei prohibitione maiora incommoda videntur consecuturæ, quam ex eiusdem permissione. Atis ulterius, si tam certum, tamque immutabile ius existit, dispensationi locus esse non debet. Recte infero. Tantum enim abest, ut ulla sit potestas humana, quin ulla creatura, quæ legem hanc labefactare, aut ei quicquam detrudere possit,*

fit, adeo ut contra divinum ius magistratus ne quidem summus dispensare valeat, quia hic legum divinarum non Dominus, sed minister est, adeoque Majestate divina inferior. Inferior autem non potest derogare legi superioris. *C. cum inferior 16. X. de Major. & Obed. C. literas 13. X. de Restit. Spol.* Id enim esset involare in summum divini Numinis imperium, ac aeternam immutabilemque naturae normam sacrilego ausu, & rebelli perduellique animo invadere, quod nefas, & Gigantum fabulis pejus, ac truculentius esset. Hinc frustra adscribitur Papae facultas dispensandi contra jus divinum, a PROSPER. FARIN. *de Inquis. Q. 6.* Pertinet enim ad eorum Paradoxa, quibus divinum honorem ei tribuere non verentur, quod scilicet sit praeter, supra, & contra Jus, omniaque possit, ut Deus, nec nudi hominis, sed veri Dei vices hisce in terris gerat, neque superiorem recognoscat, sed omnes sibi subjectos habeat; ut ita Pontificum gratia plus valeat, quam ratio & pietas, ajente BODINO *de republ. L. I. c. ult.* Hinc etiam nihil magis, profiteor, cum ea lege pugnat, quam eorum mos, qui homicidis, pessimorumque scelerum reis impunitatem promittunt, ac praestant ea lege, si ad eorum religionem transeunt. Hoc enim modo invertitur divinae voluntatis religionumque omnis ratio, cum Deus severissime jussit puniri scelera, inprimis vero prohibuerit homicidis gratiam facere. Nec minus horrendum est, ab aliquibus erigi in templis scelerum asyla, quibus non tantum ince-

B

stant

stant sacra, admittendo scelerofos, & debita supplicia fugientes, cum ea sit sacrorum ratio, ut inde separentur & profligentur profani, nedum scelerati, qui facinorum suorum impunitatem in sanctimonia loci quaeritant. Longe melius iraque Salomo Rex sensit, dum Joabum homicidam apud aram quoque interfici iussit *1. Reg. 2. v. 30.* Nec moveor in contrariam sententiam, propter exemplum Caini. Praeterquam enim, quod in legem suam dispensare Deus potuit ipse, quanquam tum temporis poenae nondum erant dererminatae, Cainus iustissimas a summo Numine inflictas poenas tulit, *Gen. 4. v. 11. seqq.* Cum vero videas, dispensari interdum contra leges divinas, cave, qui es subditus, ut de principis facto, quia sola parendi gloria tibi relicta, iudicium feras, quippe quod sine criminis reatu fieri nequit. Ut enim nec summo inter homines magistratui licere legibus derogare Dei statuo, quia hoc est inferior; ita nec tibi, qui principe existis inferior, de huius factis integrum puto iudicare, quin potius cogitabis, in clementia saepe principis maximam poni laudem, & recte. Virtutum enim, quae principem maxime illustant, praestantissima est clementia. Haec, ut adamas in auro, vel sol in coelo, sic in principe radiat; haec prima ipsius dos est; haec pretiosissimum Regiae Majestatis ac Principalis serenitatis monile dicitur, a CHASSAN: *de Glor. Mund.* REINKING. *de R. S. & E. Lib. 2. cl. 1. c. 3.* Nec etiam per aliud Princeps Deo propius accedere potest,

est, ac si hominibus dando, si egerint, indulgendo, si supplicaverint, parcendo, si deliquerint, salutem ferat. Deinde ne statuas statim, pervelim, nostris, quibus utimur juribus, legibus divinis, praeceptisque naturae imprimis, mutationem interdum inferri, motus forsitan VLPIANI lege 6. in pr. ff. de Inst. & Jur. ubi dicitur: *Jus Civile esse, quod neque in totum a naturali, vel gentium, jure recedit, neque per omnia ei servit, sed cum aliquid additur, vel detrahitur, jus proprium, seu Civile, efficitur.* Namque uti, quid hac de re sentiendum sit, supra monui; ita ea legis verba: *cum aliquid detrahimus, aut addimus, &c.* mutationem quandam probabiliter involvunt: rem tamen se ita non habere, sequentia docebunt. Primo enim notandum, illud tantum valere jus de dominiis, & juribus rerum actionumque, quae hominum arbitrio ac dispositioni liberae a natura concessa relictaeque sunt, ac legibus restringi mutarique possunt; non vero de sanctissimis illis naturae decretis, quae perpetua & immutabilia esse tradit JUSTIN. in §. fin. Inst. de Jur. N. G. & C. Tum notanda est divisio praeceptorum juris naturae, quorum alia sunt negativa, alia affirmativa, horum omnia, praeter id solum, Deum esse colendum, limitationem patiuntur, illa vero nequaquam. Deinde notandum, aliud esse addere & subtrahere, aliud immutare. Addit Ius Civile Iuri Naturae triplici potissimum modo: a) quatenus praecepta Iuris naturae ratione cir-

cumstantiarum, vel secundum speciem actus, determinat. Atque hac ratione adhuc defendi potest iustitia suspendii. Cum enim natura fontem esse puniendum dicitur, adeoque hic actus ratione exercitii sit necessarius, Ius Civile determinat saltem poenam, additque aliquid, prout satus reipublicae id postulat, non autem mutat Ius naturae divinum. β) Quatenus praecepta iuris naturae arctius conservat, & implet, quo spectant illae prohibitiones graduum ultiores in contrahendis marrimoniis. γ) Quatenus substantialia quaedam addit pro usu reipublicae particularis. Ita Ius naturae duos sufficere dicit testes ad rei probationem, Ius Civile vero septem requirit ad testamentum legitime confectum. Hinc recte dicitur in ead. leg. 6. quod Ius Civile non in totum Iuri Naturae serviat. Quando vero l. 6. mentio fit *detraktionis*, id intelligendum esse puto non solum de iis, quae sunt iuris naturae, per indirectum ita dicti, permissivi, sed etiam praeceptivi. Cui posteriori Ius Civile duplici imprimis modo detrudere solet, 1.) in assistentiae, & effectuum civilium, denegatione, qua ratione, utut jure naturae pacta servanda sint, quamdiu tamen nuda pacta sunt, jure Civili non dabitur obligatio. 2.) Contingit haec detractio in permissione actuum quorundam, juri naturae non adeo convenientium, quod fit v. c. quando Ius Civile permittit divortium viri & uxoris, etiam extra casus adulterii & malitiosae desertionis. Quae tamen



tamen omnia aut secundum, vel praeter naturam  
 fiunt ac constituuntur. Haec vero omnia pendere  
 ab arbitrio summae potestatis, cujus est, providere,  
 ne quid detrimenti capiat respublica, atque hujus  
 ex commodo ac utilitate ut omnia fiant, extra  
 omnem dubitandi rationem est positum. Summae  
 enim potestatis praecipua est potestas ferendi leges.  
 Summae potestatis est imperare; imperatur autem  
 magna ex parte legibus. Eas igitur in manu sum-  
 mae potestatis consistere oportet, alioquin nullam vim  
 habituras, nisi muniantur auctoritate illius, qui ple-  
 nitudinem imperii possidet, ARNISAEVUS in *Doctr.*  
*Polit. C. IX.* ira, ut, quid imperio suo commodum  
 atque utile videat sentiarque, constituere possit, dum-  
 modo salva maneat divina divinarumque legum au-  
 ctoritas, existentia, certitudo & immutabilitas; cae-  
 terum detrahat, addat, uti monstravi, pro utilitate  
 imperii. Nautae ventis vela accommodant, ut por-  
 tum quavis convenientissima via contingant; Me-  
 dicus solers pro ratione morborum & paroxismo-  
 rum emergentium qualitatibus medicamenta diversa,  
 nonnunquam amulera, Collyria, vel embammata  
 applicat, haec tamen omnia ex certis medicinae  
 praeceptis haurit; sic Jus divinum & naturae, ut  
 per se certum est, ita diversis casibus diversimode  
 applicatum diversas opiniones parit, ita tamen, ut  
 vere existens, certum, perpetuum atque immuta-  
 bile, reliquorumque jurium fons sit maneatque.

B 3

Haec,

Haec, utut non dubito, fore plerosque, qui genus scripturae leue, & non satis dignum eruditorum virorum lectione judicent, tamen, pro instituti ratione, praemittenda putavi, anteaquam de eo agerem, cujus causa haec scriptio suscepta est. Juris Feudalis doctrinam praelegi, eoque studio hucdum occupor. At enim vero, quia nulla ex re majorem capio voluptatem, quam ubi opera mea studioque caeteris, in societate mecum viventibus, inservire possum, & Juris Civilis scholas cupidae legum Juventuti aperire decrevi. Anteaquam vero ad interiores hujus juris partes accedo, Historiam Juris Civilis singulis Mercurii & Sabbathi diebus tradere constitui. Svavissima enim, utilissima, atque commodissima, quaeque ad jurisprudentiae nostrae dignitatem proxime accedit, juris interpretandi est via, si cum legum studio, propter ratiocinandi artem, historiarum atque antiquitatum notitiam jungamus, atque legibus ex ipsa status contemplatione lucem quandam affundamus, in earum originem, incrementa, atque vicissitudines diligenter inquirentes. Cum enim sapientissimi etiam legislatores non simul, & una vice, quid aequum, quid iniquum, quid republicae utile, quid noxium sit, videant, & progressu temporis accidat, ut morum, personarum, ac rerum mutatio aut legum priorum emendationem, aut alias plane desiderer, quid legum studio utilius esse poterit, quam illarum origines, pro-

progressum , & vicissitudines perscrutari , & a  
 quo , quando , qua de causa , lex lata sit ,  
 probe inquirere , uti docet DN. BRUNNQVELL,  
 Jctus florentissimus , in *Praefat. ad Historiam Ju-*  
*ris*. Hoc institutum , si feliciter cesserit , quod ,  
 Deo propitio , spero , sequentur Collegium in  
 STRUVII *Jurisprudentiam Forenses* , & in *Pan-*  
*dectas*. *Institutionum* loco uturus sum PERILLV-  
 STRIS DN. LIBERI BARONIS de WERN-  
 HER *Compendio Juris* , quo Germani hodie , ac in-  
 primis Saxones , in foro utuntur , propterea quod  
 in eo inutilia ab utilibus separata deprehendo. Ex-  
 posita Juris Feudalis doctrina , denuo etiam ean-  
 dem tradere allaborabo. Nec deero , si qui  
 exercendi ingenii causa Collegium *disputatorium in*  
*Jus Feudale* , ubi theses , ex ejus juris doctrina  
 excerptas , fundamenti loco ponam , desiderave-  
 rint. Denique *Practicum* addam , praecepta fe-  
 cuturus , quae e *Synoptica Tractatione* Proces-  
 sus *Judiciarii* , potissimum Saxonici *Electoralis* mo-  
 derni , a Viro Magnifico , DN. KRAVSIO , PP.  
 Patrono , studiorum meorum , meaeque fe-  
 licitatis Promotore , ac Hospite meo , aetatem  
 summo venerationis cultu Prosequendo , elegan-  
 ter composita , compendiose enucleavi , prope-  
 diem publici juris facturus. Animum itaque me-  
 um , inserviendique studium dum hac occasio-  
 ne jam Vobis declaravi , Generosissimi Nobilissi-  
 mique


mique Viri, Commilitones Humanissimi, nunc  
 Vos penes erit, utrum me audire docentem ve-  
 litis. Instituti vero ratio si complacet, ut me  
 conveniatis, atque mecum contrahatis, omni,  
 qua decet, ac par est, humanitate Vos volo ro-  
 gatos. Caeterum omnes mei conatus ut in Dei  
 gloriam, & proximi emolumentum, cedant,  
 ex animo comprecor. Dabam Viteber-  
 gae Dom. II. post Fest. Trin. A. R. S.

M D CC XXXII.



*... de univ. de viterb. in hactos saluum ... compendit.*














3907.

1732 *MM*

DE  
**DIVINARVM**  
**LEGVM EXISTENTIA CER-**  
**TITVDINE IMMVTABILITATE**  
**EARVMQVE CVM HVMANIS CONSENSIONE**  
BREVITER DISSERIT  
ATQVE  
**SCHOLAS IVRIS APERIVNDAS**  
SIGNIFICAT  
**IOANNES CHRISTIANVS HEDLERVS**  
VITENBERGA-SAXO IVRIVM LICENTIATVS  
ET PRACTICVS.

---

VITENBERGAE  
LITERIS SCHLOMACHIANIS

